



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Nunquid & vos vultis abire?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

quasi uiuificum. Sed uiuificum nemini fore docet nisi à quo spiritaliter percipitur. Apud pios suauissimum hoc Euangelij elogium est, quod certi sunt sibi in aeternam salutem destinatum esse. Hæc ille. Atqui Christum de sola sua præsentia con- cione, & de modo eius intelligendæ, ista locutum esse, to- tus contextus ad oculum docet. Verba quæ ego locutus sum vobis, non nisi de illis verbis intelligi possunt, quæ præsen- tibus Iudæis locutus fuerat. Spiritus & vita sunt, non nisi ad rem præsentem pertinent, quòd Spiritus uiuificat, caro non prodest quicquam.

Nunquid & vos vultis abire?

Veram hinc causam ponit Christus incredulitatis Iu- dæorum. Prius eam causam posuit, quia, vt ad Chri- stum venirent, non fuit eis datum à Patre. Sed ne quis hanc propriam incredulitatis illorum causam esse putaret, aliam nunc assignat, liberam eorum voluntatem prauam. Aliis enim discipulis recedentibus, Apostolos rogat (quibus haud dubiè à Patre datum erat vt ad Christum venirent) an & illi recedere vellent, manifestè docens in eorum libera vo- luntate positum esse, vt vel in Christo manerent, vel ab eo recederent. Notauit hoc S. Cyprianus his Christi verbis ci- tatis. *Seruat scilicet Dominus legem qua homo libertati sua relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipse vel mortem appetit vel salutem.* Hæc ille. Sanè Iudæos ex pro- pria malitia, non ex absoluta Dei voluntate, in Christum non credidisse, tam diligens & prolixa ad eos habita con- cilio satis demonstrauit. Quod ergo Dei gratia efficaciter multi non conuertantur, in ipsis non in Deo causam ponen- dam esse docet S. August. his verbis. *Vt innotescat quod la- rebat, & suauè fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates: qua vt non adiuuentur, in ipsis in eadem causa est, non in Deo, siue damnandi predestinati non sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam suam su- perbiæ indicandi & eruendi, si filij sint misericordiæ.* Hæc ille, latius idem eodem loco confirmans, & concludens nullius culpæ humanæ causam in Deum referendam esse. De pecc. mer. & remiss. lib. 2. cap. 17.

Increduli-
tatis vera
causa.

Epist. 55.

Libro 2.
cap. 17. de
pecc. mer.
& remis-
sione.